



Grundbuch

I

5

N<sup>o</sup> 3<sup>d</sup>

Zur Bibliothek des Königl. Kollationshofes  
Militär- und Artillerie-Regiments

27

I. N. D. N. I. C.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE

# CHRISTO,

EX  
MATTH. XVI, 16.

*Du bist Christus, des leben-  
digen Gottes Sohn.*

---

QVAM  
PRÆSIDE

## SEBASTIANO SCHMIDIO,

SS. THEOL. D. ET PROF. PVBL. AC ECCLESIASTE,

PRO INGENII VIRIBVS  
DEFENDET

## ALBERTVS FECHT,

SVLZBERGA - MARCHICVS,

AD BIEM IX. SEPTEMBR. AN. CHR. M DC LXIV.

---

EDITIO TERTIA.

---

IENÆ, LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI,  
M DCC XXIV.



DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

# CHRISTO

EX

DISPUTATIONE MATTHEI XVIII

in diebus, diebus, diebus  
in diebus, diebus, diebus

AVIA

PRESIDE

## SEBASTIANO SCHMIDIO

THEOLOGO ET PROF. PUBL. AC. SOLENNI

IN ACADEMIA THEOLOGICA

### ALBERTUS LECHT

AD ACADEMIAM THEOLOGICAM

IN ACADEMIA THEOLOGICA

IN ACADEMIA THEOLOGICA

MDCCXXIV





DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
CHRISTO,

EX  
MATTH. XVI, 16.

S. I.



Um brevis de CHRISTO Disputatio proponenda esset, visum est, amplissimam materiam vix commodius contrahi posse, quam si ejusmodi Scripturæ dictum eligeremus atque tractarem, in quo summa totius doctrinæ contineretur, atque adeo occasionem de toto articulo, prout liberet, disputandi sufficientem subministraret. Elegimus itaque hoc, quod in frontispicio posuimus ex

Matth. XVI, 16.

Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος.

A 2

Ver-

*Versio Latina:*

Tu es Christus, Filius DEI viventis.

*Germanica Versio:*

Du bist Christus, des lebendigen Gottes Sohn.

quippe quod tam de Persona Christi, quam ejusdem officio loquitur.

§. 2.

Tam clara autem sunt omnibus Interpretibus verba, ut nihil in iis differentia notatu digna deprehendatur, & ad verbum omnes reddant; Syrus, Arabs, Vulgatus, Lutherus, Genevenses, Deodatus, vel Diodatus, Beza, Piscator, Belgæ, & alii, quorum propterea Versiones afferre, imprimis cum brevitati studendum sit, supersedemus, & consensum allegasse, satis putamus.

§. 3.

Elocutus est hæc verba *Simon filius Jona*, vel *Joanna*, dictus *Petrus*, & inter Apostolos jam allectus a Christo, quod textus nostri versus clare dicit; *respondens vero Simon Petrus dixit*, &c. Et *vers. seq.* in quo Christus: *Beatus*, inquit, *es Σίμων Πέτρος Ἰωνᾶ, Simon filii Jona*. Ea vero de Simone non tantum refert historice, sed offendit etiam, quod divinam in se veritatem complectantur. Erant in Petro adhuc caro & sanguis, a quibus aliquando seductus non locutus est, quæ loqui conveniebat Apostolo, & Discipulo Christi fideli, sed diabolo potius: ut, quando mox post egregiam suam



suam confessionem Christo Domino de passione sua concionanti respondit; *propitius esto tibi, Domine, ne fiant tibi haec.* Quae verba nonnisi ab impudentibus excusari possunt, tam severe a Christo reprehensa, dicente: *ὄπισθε ὀπίσω με σατανᾶ, abi post me, Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quae DEI sunt; sed ea, quo sunt hominum.* Erant itaque in Petro caro & sanguis, a quibus seduci poterat, imo ex quibus nihil divini, & quod Spiritus DEI est, expromere potuit: sed de confessione is, qui carnem & sanguinem, omnemque perversitatem cordis humani scrutatur, testatur, non ex carne & sanguine, sed a Patre caelesti, profectam esse. *Beatus es, respondit Jesus vers. 17. Simon fili Jona, ὅτι σαρξ καὶ αἷμα ἐκ ἀνθρώπων σου, ἀλλ' ὁ Πατήρ μου, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, quoniam caro & sanguis non revelavit tibi (hoc), sed Pater meus, qui in caelis est.* Ergo causa principalis, h. e. summus Doctor, primus Autor, motor, dator, hujus confessionis & verborum ejus singulorum omniumque est DEUS Pater, non per carnem & sanguinem, sed per Spiritum suum Sanctum, a quo Petrus non tantum olim sensum horum verborum didicit, sed nunc quoque in ipso confessionis actu impulsus, elocutus est. Quare summa veritas, & caelestis infallibilitas in nostris verbis deposita est, ut in iis fides nostra fundari possit & debeat, & quicquid de Persona & Officio Domini nostri Jesu Christi in his verbis expresse aut consequenter dicitur, nos quoque credere & confiteri cum Petro oporteat.

## S. 4.

Non tamen elocutus est Apostolus Petrus haec verba, ut causa ministerialis, h. e. ut Propheta & Apostolus, etsi revera Apostolus jam esset, sed ut Christianus & Confessor ipse, cui DEUS pater per Spiritum



tum Sanctum dedit, ut ipsius essent hæc verba & confessio! Unde beatus prædicatus Petrus; *μάνδρῃ* ἢ *Σίμων* *βλέψῃ* *ἰωάν*, *Beatus es Simon, fili Jona*: non vel DEUS Pater, vel Spiritus Sanctus, licet a DEO Patre in Spiritu S. revelatio Petro facta esset. Petrus vero dicere vult; Ego, Domine, scio, credo & confiteor, quod Tu sis Christus, Filius DEI viventis.

## S. 5.

Elocutus est hæc verba, quum omnes discipuli interrogati essent a Domino, his verbis, vers. 15. *ὁμοῖς δὲ τίνα με λέγετε ἔναυ*, *Vos vero quem me dicitis esse?* Unde certum est, quod hæc sit communis fides omnium Apostolorum, utpote ab omnibus Apostolis requisita, & quam omnes confiteri debuerunt, imo sine dubio, nisi Judam proditorem exceperis, in corde suo coram eo, qui jam tum corda eorum introspiciebat, Domino sunt confessi. Sed num horum quoque nomine Petrus locutus est, ut confessio oralis ipsis quoque, tanquam per os Petri facta, adscribenda sit? Ita sane non Nostrates tantum post B. Lulherum, sed & veteres Ecclesiæ Patres, Chrysostomus b. l. Hieron. b. l. Augustin. Serm. XIII. de Verbis Domini, magna nomina, & Ecclesiæ venerabilia: quorum verba adducere super sedemus, & hoc magis, quod adeo certa, ut ne quidem Pontificii in controversiam vocare possint. Existimant, inquit Maldonatus in b. l. (Adversarii,) Petrum non pro se tantum, sed pro omnibus Apostolis respondisse: *Tu es CHRISTUS, Filius DEI, vivi*, quod fateor, nonnullos etiam Auctores Veteres putasse Chrysostom. Hieron. b. l. & Augustin. Serm. XIII. de Verbis Domini secundum Matth. Idem dixerunt Patres, etsi Petrum omnium Apostolorum facerem Principem, ut Chrysostomus Homil. LV. aut ardentioris fidei virum, ut Hilarius & Hieronymus fecerunt. Ut adeo nihil impediatur, sive  
Princi-



Principatus aliquis, sive ardentior fides, quo minus Petrus os reliquorum fuerit, & communem fidem pro omnibus confessus sit. Quam sententiam ut sequamur, non opus est dicere, quod prius Concilium coegerint discipuli Domini, & post confessionem, unanimes votis decretam & conceptam, Petro mandaverint, ut omnium expresso nomine coram Domino ederet & eloqueretur: Sed hoc sufficit, ut Petrus audiverit ex Domino, requiri communem discipulorum confessionem, & cum nosset, quæ omnium esse deberet, nec dubitaret de ullo, quin eam firmo pectore teneret, prompte, quod alias quoque facere & solitus est, & a condiscipulis commissum, vel saltem concessum, suo & condiscipulorum nomine responderet; Ego, Domine, quod de Te confiteor, & quod omnes meos condiscipulos mecum sentire scio, hoc est; Tu es Christus, Filius Dei viventis.

## §. 6.

*At, inquit Maldonatus, si pro omnibus Petrus loquebatur, cur non omnibus a Christo dictum est; Beati estis, quia caro & sanguis non revelavit vobis, &c. Cur non omnibus mutata nomina sunt? Cur non omnibus dictum; Vobis dabo claves regni cælorum? Deinde cum omnes Christus interrogasset, cur non omnes responderunt? præsertim cum paulo ante, interrogante eo, quem se homines esse dicerent, non solus Petrus, sed omnes, aut quicumque voluerunt, responderint, alii Johannem Baptistam, alii Eliam, alii Hieremiam, aut unum ex Prophetis: melius ergo omnes senserunt auctores, Petrum pro se uno respondisse, non quod alii idem non crederent, ac dicturi etiam fuissent, nisi Petrus prævenisset, sed quod Petrus majore fide in confessione primus eruperit. Atque hoc tantum indicare auctores illi voluerunt, qui dixerunt, illum pro omnibus respondisse, qui eum os Apostolorum appellaverunt.*

## §. 7. Petrus

Putat nimirum Jesuita, Pontificatum Romanum antichristianum vel defendisse abunde, vel confirmasse etiam fortiter, & adversarios refutasse valide. Atque concedit nobis, quod sat est, & in reliquis nihil contra nos præstat. *Petrum, ait, pro se uno respondisse, non quod alii idem non crederent, ac dicturi etiam fuissent, nisi Petrus prævenisset, sed quod Petrus majore fide in confessione primus eruperit.* Ergo, inquam, Petrus non aliud credidit, quam quod reliqui Apostoli crediderunt: & omnes reliqui Apostoli idem dicturi, & confessuri fuissent, si, postquam Petrus prævenit, necessarium fuisset. Ut quid ergo non ad reliquos quoque Apostolos pertinuerit, quod Petro dictum? Sit enim ita, quod Petrus majorem fidem habuerit, quare vero minori reliquorum Apostolorum fidei non aliquid etiam promissionis redditum sit? Amplius: Si reliqui Apostoli confessionem non ediderunt suam, quia Petrus prævenit; oportet Petrum pro illis confessionem edidisse. Quandoquidem enim Dominus omnes interrogavit, omnes etiam confiteri debuerunt, vel per se, vel per alium. At non per se. Ergo per alium, h. e. Petrum. Urgeamus hic ipsa Jesuitæ verba? *Cum omnes Christus interrogasset, cur non omnes responderunt?* Certe oportet omnes respondisse vel per se, vel per Petrum. Jam nihil contra nos præstat Jesuita, si modo observatur, quod quo ordine Petrus pro omnibus respondit, eo ordine etiam ad omnes pertineant, quæ Dominus reposuit. Diximus supra, quod Apostoli non in Concilium aliquod coiverint, sed Petrus mentis reliquorum gnarus, responderit primo *pro se*, tum etiam *pro aliis*; *pro se* ex certitudine animi; *pro reliquis* ex spe charitatis, quam hi suo silentio confirmarunt sic, ut Dominus contentus esset. Sic jam primo Petro & nominatim Dominus respon-

spondere voluit, ut *deinde* omnes reliqui ad se applicarent, qui Petro consenserant. Requirebat insuper hunc respondendi modum sapientia Christi, cui Judæ proditoris animus melius, quam Petro notus erat: quem ne excipere, expresse cogeretur, sicut Joh. VI, 70. ubi Petrus non eo, quo hic responderat modo, coactus est, voluit ea, quæ respondit Petro, a relinquorum fide applicari. Unde sensus verborum Domini hic est: Beatus es Simon, fili Jonæ, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est; Beati similes sunt omnes, quotquot consentiunt tibi. Sed & dico tibi, quod nunc sis Petrus re, pertinebitque ad omnes, tibi consentientes, qui & ipsi re Petri sunt, dum me confitentur, quem tu confiteris. Et dabo tibi claves regni cælorum, tanquam constantis fidei Apostolo meo; quas & reliquis dabo, qui tecum constantis fidei Apostoli futuri sunt. Hunc sensum confirmavit Dominus per hoc, quod mox omnibus prohibuit, ne ulli dicerent, quod ille esset Jesus, ille Christus. Cur enim prohibuit, si non omnes confessi sunt? Errat Jesuita in hoc, quod putat, Petro hic esse nomen mutatum, cum illi dictum; *Et ego vero dico tibi, quod Tu sis Petrus.* Non enim mutatum est nomen, quod in prima vocatione, mutatum legimus, Joh. I, 36. Sed res nominis novi exposita est ita, ut ostenderetur, rem nominis ad omnes pertinere debere, licet non omnes nomen gererent, sed in uno gerente memoria rei commendata esset, Sed longius fere progredimur, quam institutum permittit. Ad ipsam confessionem accedimus.

S. 8.

Σὺ, Tu, inquit Petrus. Cum Jesu loquitur: certum est. Nam ἐλθὼν ὁ ἰησοῦς, *quum venisset Jesus in partes Cesarea Philippi, interrogavit discipulos suos, &c. vers. 3.*

B

Ergo

Ergo & discipuli, & nominatim Petrus responderunt etiam τῷ Ἰησοῦ, *Jesu*. Ne tamen hic repeteremus nomen Jesu; Tu, Jesus, es Christus, &c. duo faciunt: *Unum*, quod studio Dominus in sua quaestione aliud sibi nomen dedit, *τίνα με*, inquit, λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι; τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, quem me dicunt homines esse, *filium hominis*? Ibid. *Alium*, quod Dominus ipse nomen, Iesus, vidit & scivit, rem ipsam dicere, quæ respondenda erat, nec subjecto in quaestione aut responsione commode attribui. Nam expresse v. 20. ipse ad prædicatum retulit: *Tunc prohibuit*, inquit Evangelista, *discipulis, ut nulli dicerent, ὅτι αὐτός ἐστιν Ἰησοῦς, ὁ Χριστός, quod ipse esset Jesus, Christus ille*. Ergo licet non malum sit, *Σὺ, Ἰησοῦς, Iesus, est Christus, &c.* Dominus tamen nobis monstravit, ut ita suppleamus; *Σὺ, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, Tu, Filius hominis, es Christus, Filius DEI viventis*. Ut possis etiam distinte dicere; *Filius hominis est Christus: Filius hominis est Filius DEI viventis*.

Appellationem τῷ υἱὸ ἀνθρώπου, *Filii hominis*, alias docent ex Dan. VII, 13. desumptam esse. Nec repugnabimus alibi, hic dubitamus. Nam quaestio alioqui involvet responsionem, cum modo dixerimus, ideo noluisse Dominum, ut nomen suum, Iesus, subjecto addamus, ne rem responsionis quaestioni inferret, sicut rem responsionis esse ex prohibitione indicavimus. Nam si Dominus appellatione Filii hominis ad locum Danielis respexisset, per hanc ipsam appellationem se dixisset Christum, cum nemo, qui locum Danielis intellexit, nescire potuerit, Filium hominis ibi esse Christum. Videtur itaque τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, Filium hominis additum esse, ut naturas in subjecto distinguat, & eam ostendat, quæ ab hominibus videbatur, & coram hominibus

nibus stabat, quam vulgo etiam homines agnoscebant, etiam si alteram unitam personaliter nec agnoscerent, nec confiterentur. Patet hoc amplius ex opinionibus Iudæorum de Iesu ab Apostolo relatis, quando alii dicebant, Iesum esse Iohannem Baptistam, alii Eliam, alii Ieremiam, alii alium ex Prophetis. Quando enim Dominus ex Apostolis quærit; *Quem me dicunt homines esse filium hominis?* Et Apostoli respondent: *Hi quidem Iohannem Baptistam, alii vero Eliam, aut alium Prophetam, quid aliud est, quam si responderent; Te Filium hominis, dicunt homines esse nudum hominem omnes, licet magnum, vel Iohannem Baptistam, vel Eliam, vel Ieremiam, vel alium Prophetarum. Ubi quid manifestius est, quam quod filius hominis pro una natura supponat, quam etiam voces per se notant. At eadem quæstio manet, & eadem vocum in quæstione & responsione suppositio, quando ex Apostolis quæritur; Vos autem quem me (filium hominis) dicitis esse?* Et Petrus respondit: *Tu (Filius hominis) es Christus, Filius DEI viventis;* nempe, Tu, homo, quem videmus oculis nostris, quem hactenus nostris manibus contrectavimus, non es nudus homo, ut vulgo opinantur, sed es Christus, Filius DEI viventis.

*Tu es, o Xristos, Christus.* De voce Xristos, Christus, nolumus hic multa dicere. Hoc unicum, quod tamen non obscurum putamus, dicimus, vocem in suo famosiori significato a Petro usurpari, in quo tum vulgo etiam in ore erat, & significabat Messiam seu Unctum, quem ex Semine Davidis nasciturum, & maximum Iudæorum Regem futurum, promissiones varix & Prophetæ in V. T. prædixerant: ut non immerito hic articulus, o, vertatur per, ille, *Tu es ille Christus.*

Ponit

Ponit Petrus hanc vocem per oppositionem ad opiniones vulgi, opinantis, quasi Dominus esset vel Iohannes Baptista, vel Elias, vel Jeremias, vel alius aliquis ex veteribus Prophetis; & longe aliud, quam illi habebant, officium designat: q. d. Tu, Filius hominis, non es, ratione officii, vel præcursor Messie, vel Propheta aliquis, quantorumvis etiam donorum, sive Elias, sive Jeremias, sive alius aliquis sit; sed ex ratione tui officii, ipse magnus ille Messias, Christus, unctus es, qui Patribus nostris per Prophetas promissus es.

¶ *Sec. II.*  
 Addit jam Petrus: *ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τὸ ζῶντος*, *Filius DEI viventis.* Per quæ verba non amplius Officium Domini significatur, sed ex officio Persona docetur; optima consequentia, quæ hæc est; Tu es Christus, atque adeo non es nudus homo, sed ipse Filius DEI viventis: Nam qui est ratione officii ille Christus maximus, Patribus promissus, ille ratione Personæ non est nudus homo, sed ipse Filius DEI viventis. Tu, ut jam confessus sum, Filius hominis es ratione officii Christus ille maximus, Patribus promissus. Ergo ratione Personæ, non es nudus homo, sed ipse Filius DEI viventis. Opponit hoc quoque opinionibus vulgi, qui, quando Iesum dicebant esse vel Iohannem Baptistam, vel Eliam, vel Jeremiam, vel alium ex Prophetis Veteribus, perspicue faciebant nudum hominem, & Filium DEI esse pernegabant. Quis enim unquam etiam inter Judæos adeo insanivit, ut Iohannem Baptistam, vel Eliam, vel Jeremiam, vel alium ex Prophetis veteribus faceret Filium DEI naturalem? Erlicet Pharisei a Judæis ablegati, Ioh. I. Iohannem Baptistam interrogaverint, num Messias esset, quod vulgus quoque cogitare coeperat, non tamen sentiebant, Messiam plus esse, quam nudum hominem.

S. 12.



Sed Petrus hic illuminatus a cœlesti Patre ultra vulgus non tantum Iudzorum, sed Pharisaicos quoque Doctores & Magistros sapuit, & verum illum magnum Messiam, non nudum hominem posse esse, sed etiam Filium DEI viventis esse debere, intellexit, atque sic, ut indicavimus, ab officio ad Personam optime conclusit. Nec intelligit Filium DEI adoptivum, cuiusmodi omnes fideles sunt, sed Filium DEI naturalem & substantialem, quem ex sua substantia Pater ab æterno genuit. Patet hoc (1) Ex famosiori, & præcipua appellationis Filii DEI significatione, itemque propria, quæ hæc est, qua Filius DEI naturalis, & substantialis designatur: cum contra significatio filii adoptivi sine dubio sit tropica, seu metaphorica. Notus est bonæ Interpretationis canon: *Omnem vocem Scriptura in sua propria significatione & famosiori accipiendam esse, donec evidentibus ex Scriptura petitis cogamur discedere.* Nulla vero talis ratio nos discedere cogit. Confirmat (2) propriam significationem articulus additus, *ὁ, ὁ υἱός*, Filius DEI viventis. Articulus namque hic hoc loco singularem numerum, ut sic dicam, singulariorem reddit, & per omnia singularem facit: unde per *μὸνος ὁ υἱός*, reddi potest omnino: *Tu es Christus, ὁ υἱός, unicus Filius DEI viventis*, ita scil. unus, ut non sit alius tibi similis. Urget (3) Oppositio, quam supra jam annotavimus, ad opinionem Iudzorum de Iohanne Baptista, Elia, Ieremia, & Prophetis. Nam quales DEI filii erant Iohannes Baptista, Elias, Ieremias & alii Prophetæ, talis Filius DEI Iesus hic non est, vi oppositionis. Atque illi erant Filii DEI adoptivi. E. Iesus non erat Filius DEI adoptivus. E. contra erat Filius DEI naturalis, & substantialis. Urget (4) Phrasium collatio. Ita Christus est Filius DEI viventis, sicut est filius hominis. At Filius

opinio-  
Iohan-  
s aliq-  
illi ha-  
nominis,  
vel Pro-  
sive E.  
ex ratio-  
tus, un-  
missus es.

Filius DEI  
n Domi-  
optima  
atque  
viventis:  
us, Pa-  
t nudus  
am con-  
Christus  
ne Perfo-  
I viven-  
gi, qui,  
ptistam,  
etis Ve-  
, & Fi-  
quam et-  
n Bapti-  
Prophe-  
Et licet  
ptistam  
us quo-  
Messiam  
s. 12.

lius hominis est naturalis & substantialis. E. & Filius DEI naturalis est. Bene hoc nobiscum agnoscunt Pontificii, & Calviniani. Ex Pontificiis Maldonatus in h. l. sic commentatur: *Filium DEI vocat natura, non adoptione.* Adoptione enim omnes confitebantur Filium esse DEI, quandoquidem Virum Justum, & Prophetam putabant. Certissimum autem argumentum est, quod Petrus Christum Filium DEI vivi appellans, Johanni, Elie, Jeremie, & Prophetis opponat, quos, certum est, filios DEI adoptivos fuisse. Christum E. non adoptione, sed natura Filium DEI appellat. Pater autem sic annotat: *Filium DEI vivi profertentes, fidem suam de ejus Persona divina testantur, non credere eum Filium tantum hominis, seu hominem qualem videbant, sed & Filium DEI veri naturalem.* Filium vero non adoptione, sed natura intelligunt: nam adoptione filium appellando nihil supra Baptistam, Etiam, Jeremiam ei tribuerent, quos etiam filios DEI viventis adoptione fuisse constabat.

Negant autem Photiniani, pessimum Hæreticorum genus. Ex quibus Enjedinus est, qui hic objicit: *Generationem proprie DEO non competere, quia sit officium & proprietas anima vegetativa, & homini cum brutis communis sit, sapiatque imperfectionem & sorditiam.* Cum & DEUS vivus dicatur respectu filiorum adoptivorum, Hof. I. 10. qui tamen ex essentia generet; tum etiam spiritum Sanctum sic debere generare, quum ipse juxta nostram opinionem DEUS vivus dicatur, 2. Cor. VI. 16. Ita Enjedinus. Sed (1) Ex Scriptura nunquam probabitur, quod generatio DEO proprie competat: quin hæc contra, generationem DEO proprie competere. consequenter per hoc ipsum dicit, quod Filium ei, sine ullo tropi argumento, tribuit. Et clarius vi relationis, quum Filium *μονογενῆ* unigenitum ejus asserit. Si namque Filius est unigenitus, Pater quoque



quoque est *μονογενῶν*, unigenerans, ut sic loquar, h. e. qui unicum & non plures filios generat. Clarissime per literam: *Filius meus es Tu, ego hodie* *אֵלֹהִים* *genus Te*, Psal. II, 7. (2) Officium & proprietatem animæ vegetativæ generationem esse, non simpliciter verum est. Nam (a) plantis quoque tribuunt animam vegetativam, non tamen generationem: quæ si esset proprium in quarto modo animæ vegetativæ, plantis negari nequiret. (β) Animalia irrationalia generant: generant & homines. Sed anima tamen hominis generat, ut spiritus immortalis: cum anima brutorum sit corruptibilis. Ergo anima hominum non tantum generat, qua vegetativa, nec qua animalis, sed qua humana, h. e. spiritus immortalis est. (γ) Distinguenda ipsa generatio a modo generandi: Ipsa generatio nec imperfectionem, nec sorditiam habet per se, licet aliquis generandi modus imperfectionem & sorditiam habere possit. Sed & (δ) si animæ vegetativæ in hoc sensu, quæ vi vegetandi etiam prædita est, generationem tanquam proprium inter creaturas concedamus, tamen non absolute ei facere possumus proprium, ut DEO competere nequeat. (3) Quod DEUS vivus dicatur, respectu filiorum adoptivorum, nihil ad rem facit, cum ex voce *ζῶντος viventis*, vel *vivi* non arguemur ad filium naturalem: sed hoc dicamus, Christum esse Filium DEI naturalem, non factitium, sed vivi. (4) Nec DEI vivi dicimus esse simpliciter & absolute negare, ut Spiritui Sancto etiam cogamur tribuere; sed relative & sub Charactere, Patris, DEO vivo generationem tribuit ipsa Scriptura. Atque adeo nugæ istæ sunt, quas Enjedini spiritus blasphemus venditavit.

§. 14.

Restat Epitheton *ζῶντος*, *viventis* & *vivi*; quod Epithe-

Epitheton Vetus Testamentum maxime DEO tribuit, in quo  $\text{Q}$  *vivus*, absolute DEO attribuitur, tanquam qui ipse vita, atque adeo sic vivus, ut nullum sibi habeat similem; imitaturque Novum Testamentum, in quo & interpretationem habemus. Nam quum Christus hic dicatur Filius DEI  $\zeta\omega\nu\tau\omicron\varsigma$ , *viventis*, atque adeo  $\zeta\omega\nu$ , *vivens*, vocat seipsum  $\zeta\omega\nu$ , Ioh. XIV, 16. Verum quidem est, quod *Maldonatus* ad hunc locum annotat, quod per hoc Epitheton DEUS distinguatur ab Idolis, quæ res mortuæ sunt, sed addendum tamen, quod per idem distinguatur etiam a quibusvis creaturis etiam viventibus, propterea quod nec hæ vivunt absolute, ut ipsa vita sint. Hæc Dicit nostri expositio.

S. 15.

Iam breviter *Doctrinam de Christo Jesu* ex illa delineabimus, materiam disputandi subministraturi uberiorem. Esto ASSERTIO I. *Nomina Jesu & Christus sunt personalia, & utramque naturam (de qua utraque natura mox,) designant.* Et (1) Nomen IESUS per suam originem dicit Iehovam, unum verum DEUM, atque adeo divinam Naturam. Quid enim יהושע *Jehoschua*, ut sua lingua, h. e. Ebræa scribitur? nisi יהוה ישוע vel יהוה ישועה *Jehova salus*, nostra scilicet. Et annon propterea homini ex Maria nato ex Circumcisione impositum est, ut proprium ipsi fieret, tanquam illi, qui pro salute nostra natus esset, & salvaturus populum suum a peccatis ejus? Annotavimus etiam supra, quod Dominus hoc Nomine suo uti noluerit, cum interrogaturus esset, quid de se homine, tum Iudæi, tum discipuli crederent, quod nomen utrumque cum officio involvat Naturam: Postea vero prohibuerit Discipulis, ne revelarent, quod IESUS esset, seu CHRISTVS, in significatione utrumque nomen

men exæquans. Jam (2) Nomen  $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{o}\varsigma$  *Christi*, quod Ebræis  $\text{מָשִׁיחַ}$  dicitur, unctum dicit seipsum ungentem Spiritu suo. Qui in hoc ab aliis, qui typi erant, Sacerdotibus unctis; Regibus & Prophetis distinctus, quod hi alieno unguento alio, ille suo a se unctus est. Nomen non tam participaliter de eo, qui jam unctus est, quam nominaliter de eo, cui unctio competit, accipiendum est; unde & sub Vet. Testamento Filius DEI Messias & Christus recte dici potuit, quod ei ex decreto Sacrosanctæ Trinitatis unctio jam competeret, licet nondum facta, sed suo tempore in assumpta carne facienda esset. Quomodo & ab Israelitis in deserto CHRISTUM tentatum fuisse, ait Apostolus 1. Cor. X, 9.

S. 16.

**ASSERTIO II. JESUS CHRISTUS verus DEUS**  
 & verus homo est: Vel quod idem est; verus Filius hominis & verus Filius DEI. Utrumque ex Scriptura tum Vet. tum Novi Testamenti probare in charta hac superfedemus. In nostro loco manemus. Vidit Petrus eum cum reliquis Apostolis coram se in vera humanitate, adhuc, in qua jam non per unum annum cum ipsis versatus erat: audivit humana voce secum loquentem: novit matrem ejus virginem, ex qua natus erat: assumptam voluit appellationem, qua se paulo ante ipse  $\tau\omicron\nu\ \upsilon\theta\acute{o}\nu\ \tau\acute{\epsilon}\ \acute{\alpha}\nu\theta\rho\acute{\omega}\pi\alpha\varsigma$ , *Filium hominis* nominaverat; & assumptam voluit quidem in propria sua significatione, sine ullo tropo, cum nullum adfit vestigium. Unde, qui  $\acute{o}\ \upsilon\theta\acute{o}\varsigma\ \tau\acute{\epsilon}\ \acute{\alpha}\nu\theta\rho\acute{\omega}\pi\alpha\varsigma$  *Filius hominis* propria significatione sine ullo tropo appellatus est, inter homines, ut verus homo, versatus, visus, auditus, ita ut origo ejus ex vero homine, matre virgine, nota esset: Is verus homo est. Atqui IESUS CHRISTVS, Ergo. Jam  
 C porro

porro Petrus hunc hominem confitetur esse τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τῷ ζῶντι, *Filium DEI vivi*, sine ullo tropi, qui a confessionibus maxime abesse debet, indico, atque adeo in propriissima significatione, in oppositione ad filios adoptivos, & nudos homines, cum respectu ad veram humanitatem, cui non minus vera divinitas copulanda: eum etiam Filium DEI, quem officium Messianum, juxta Vet. Testamenti promissiones, infert. Infert autem hoc Jehovah. Ergo hic homo verus DEVS est, & vivus DEVS. Nullius momenti esse, quæ hic divinitatis Christi hostes objiciunt, jam supra vidimus.

S. 17.

ASSERTIO III. *Licet autem diversissima sint nature, Divina & humana, in JESU CHRISTO, tamen arctissime in unam personam unite sunt, ut JESUS CHRISTUS sit DEUS & homo, in unitate persone unionem personalem arctissimam.* Unitatem personæ, & unionem arctissimam evincit propositio, quam in nostris verbis habemus, personalis: *Tu Filius hominis; es Filius DEI viventis.* Ostendimus supra, qua ratione hæc propositio in nostris verbis habeatur, & inde eliciatur: nolumus hic prolixè repetere. Subjectum hujus propositionis est, *Filius hominis*, Concretum naturæ, non personæ, nec pro tota persona supponens. Et licet pronomina *Ego, Tu, ille*, pro tota persona alias ponantur: Concreta tamen naturæ, juxta apposita & circumstantias textus atque rei gestæ, fieri possunt. Ita hoc loco per τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τῷ ζῶντι, *Filium hominis* non minus restringitur τὸ, *Tu*, ad Concretum naturæ, quam prius in quaestione CHRISTI, *me, me*, per idem restrictum fuit. Sic prædicatum ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τῷ ζῶντι, *Filius DEI viventis*, Concretum Naturæ notat, non Concretum personæ. Itaque Concretum divinæ naturæ de Concreto huma-

humanæ naturæ prædicatur, proprie & sine ullo tropo: Id vero nunquam fieri potuisset, nec Petro confiteri licuisset, nisi divina & humana natura in unam personam essent accuratissime, h. e. personaliter unitæ: Nam certa doctrina Scripturæ est, quod DEVS in sua natura mutari nequeat in aliud, nec aliud in illum, nec utrumque in tertium quid. Unde cum dicitur: Filius hominis est Filius DEI viventis, nec hic sensus est, quod filius hominis mutatus sit in Filium DEI: nec hic, quod Filius DEI mutatus sit in Filium hominis: nec hic, quod Filius hominis, & Filius DEI viventis commixti sint in tertiam quandam essentiam, ut Eutychiani insaniverunt. Iam porro, si, quod Nestorius deliravit, Filius hominis & Filius DEI essent alius & alius, nullo modo dicere liceret, Filius hominis est Filius DEI viventis. Hæc enim sane propositio non dicit alium & alium, sed unam aliquam personam. Et Petrus hoc confiteri voluit; Tu filius hominis, non es nudus homo, sed es ipse Filius DEI viventis; nec alius es, quam Filius DEI viventis, sed ipse Filius DEI, & ille ipse, qui est Filius DEI viventis; scil. Tu Filius hominis es CHRISTVS, & quia CHRISTVS es, es etiam Filius DEI viventis, cum non possit esse CHRISTVS, qui non est Filius DEI viventis.

§. 18.

**ASSERTIO IV.** In JESU CHRISTO est triplex Idiomatum communicatio. Primum Communicationis genus est, in quo propria alterutrius naturæ dicuntur de CHRISTO, sive ab humana, sive ab utraque natura denominato. Cujusmodi propositionem in nostris quidem verbis non habemus: sed ex ea facile

C 2

conclu-

concluditur. Nam Tu, Filius hominis, es Christus, inquit Petrus. Ergo Christus est Filius hominis. Jam filius hic hominis natus est ex Maria Virgine, fuit, humilis, visibilis, cum Discipulis suis versatus humano more, & mox passus & crucifixus. Ergo Christus natus ex Maria Virgine, fuit humilis, visibilis, cum Discipulis versatus humano more, passus atque crucifixus. Quæ consequentia optima est, cum propter humanitatem humana de CHRISTO rectissime prædicentur. *Alerum communicationis genus* est, in quo divina Majestas, gloria atque potentia de CHRISTO secundum humanam naturam per & propter unionem hypostaticam prædicantur, juxta Orthodoxos Theologos. Concluditur & hoc communicationis genus ex Dicto nostro. Nam Filius hominis est CHRISTVS, & quia CHRISTVS est, necessario est Filius DEI viventis. Quæ hic alia ratio esse potest, nisi hæc, quia nisi sit Filius DEI viventis, non possit administrare Officium Messianum, vivificando, pretiose satisfaciendo, omnipotenter atque omnipræsenter, regendo, omniscienter docendo? Ergo per hoc, quod in unitate personæ, & per unionem personalem Filius hominis est Filius DEI viventis, idem Filius hominis est vivificus, pretiosum habet sanguinem, omnipotens, omnipræsens, omnisciens est, atque sic verus Christus. *Tertium Communicationis Idiomatum genus* est, in quo utraque natura, quod sibi proprium est, agit cum communicatione alterius. Habemus quoque ex nostris verbis. Nam Filius hominis est CHRISTVS, & quia CHRISTVS est, oportet eum esse Filium DEI. Jam si CHRISTVS est Filius hominis, utique facit opera CHRISTI. At non potest esse CHRISTVS, & opera CHRISTI facere, nisi sit etiam

etiam Filius DEI viventis; necesse utique est, ut opera CHRISTI faciat cum communicatione alterius naturæ, hoc est, Divinæ; atque adeo Filius hominis in officio Messiano, quod gerit, agit, quod sibi proprium est, sed cum communicatione Divinæ naturæ.

§. 19.

**ASSERTIO V.** *Officium JESU CHRISTI triplex est; Propheticum, quo voluntatem DEI Patris de salute nostra nobis hominibus revelat; Sacerdotale, quo tanquam Mediator humani generis cum satisfactionis merito, tum intercessionis virtute nos DEO Patri suo reconciliat; Et Regium, quo omnia in Cælo & terra, inprimis vero Ecclesiam suam gubernat: quod triplex Officium suum non secundum Divinam naturam tantum, nec secundum humanam tantum, sed secundum utramque administrat.* Utrique naturæ CHRISTI, hoc est, Divinæ & Humanæ Officium Messianum competere, bono fundamento ex nostris verbis dicitur. Consequentia Petri non semel meminimus: Tu Filius hominis, es CHRISTVS, atque adeo etiam Filius DEI viventis: quia nimirum CHRISTVS esse non posses, nisi esses etiam Filius DEI viventis. Ex quo Petri fundamentum hoc certum est, quod officio Messiano Filius hominis per se solus satisfacere non potuerit, ut Filium DEI viventis esse oportuerit. Sed & contra Filius DEI solus sine humanitate Officio Messiano fungi non potuit, eo quod cum omnem virtutem & potentiam ad id necessariam haberet, humilitatem tamen, quæ non minus requirebatur, non habuit: Unde hominem nasci oportuit, in quo humilitatem suam faceret sibi, atque sic opus redemptionis completeretur. *Propheticum esse Offi-*

C 3

cium

cium CHRISTI, ipsa vox *Χριστός* in nostris verbis docet, & per eam Petrus confessus est. Patet hoc nobis ex explicatione CHRISTI, quam habemus vers. 17. 18. 19. 21. Nam vers. 17. dicit Dominus; *Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Ubi revelavit Petro Pater caelestis? In concionibus CHRISTI, de quibus alibi ipse Petrus confitetur; Domine, Tu habes verba vite aeternae. Addit Dominus vers. 19. Et dabo tibi claves Regni caelorum, &c. Ergo ille summus Propheta est gerens claves Regni caelorum, & daps illas, cui vult. Sacerdotale esse, exponit versus 21. Ab illo tempore cepit JESUS ostendere discipulis suis, quod oporteret; nimirum vi Officii Messiani, ipsum abire Hierosolimam, & multa pati a Senioribus, & Principibus Sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere. Propterea nimirum quia nullus homo, si totum etiam mundum possideret, homines, angelos, & quasvis creaturas, posset dare *τις ψυχῶν αὐτῶν ἀντιτάξιμα*, anima sua aequivalens pretium, extra CHRISTVM, quod vero invenit CHRISTVM crucem suam ferentem sequens. Jam Officium Regium appellatione CHRISTI *Χριστός* includi explicat Dominus vers. 18. inquit: *Et super hac petra aedificabo Ecclesiam meam & porte inferorum non prevalebunt illi. Et vers. 27. Venturus est Filius hominis in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique juxta actionem illius.**

§. 20.

ASSERTIO VI. & ultima. Officium suum triplex JESUS CHRISTUS in duplici administrat Statu, Exinanitionis uno, altero Exaltationis: Quorum prior est, in quo se ipsum ita exinanivit, ut forma servi assumta, in-  
que



que similitudine hominum existens, in humilitate voluntaria  
obediens Patri factus est, usque ad mortem crucis. Posterior  
vero, in quo, exaltato a DEO donatum est Nomen,  
quod est supra omne nomen, ut in nomine JESU omne genu  
se flectat supracœlestium & terrestrium, & subterrestrium.  
Utramque Definitionem subministrat Apostolus  
Paulus Philip. II, 5. seqq. Verba vero nostra ostendunt,  
& CHRISTVS ipse mox Petro & Apostolis magis  
exponit. Ostendunt, inquam, verba nostra. Nam  
Confessionem a Petro & Apostolis exegit JESVS  
CHRISTVS jam exinanitus & humiliatus, quippe  
ut homo & in similitudine hominis cum ipsis sic ver-  
fatus eo ipso tempore, ut postea Matth. XX, 28. dicere  
potuerit; *Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed  
ut ministraret, & daret animam suam pretium redemptionis  
pro multis.* Et Luc. XXII, 27. *Ego vero in medio vestri  
sum sicut ministrans.* Jam Petrus de exinanito quoque  
& humiliato ac Iohanni Baptistæ, Eliæ, Ieremiæ, reli-  
quisque Prophetis afflictissimis coram universo populo,  
simili facto confessus est: *Tu es CHRISTVS Filius  
DEI viventis.* Confessus quoque est idem Christi-  
um Filium DEI viventis, cujus gloriam ipse cum  
reliquis Apostolis expectabat. Sed Dominus clarius  
exposuit mox statum utrumque. *Statum exinanitionis,*  
vers. 21. inprimis, quod oporteret ipsum abire Hiero-  
solyma, & multa pati a Senioribus & Sacerdotum  
principibus, & Scribis, & occidi. *Statum exaltationis*  
vero vers. 18. 21. 27. quod tertia die (ex mortuis) resu-  
scitari ipsum oporteret, ubi mox Ecclesiam suam per  
universum orbem supra Petrum Confessionis de se,  
h. e. supra se ipsum viva, & ad Confessionem usque  
constante fide apprehensum sic zdificaturus esset, ut  
portæ inferorum adversus illam non prævalerent, do-  
nec

nec tandem veniat in Gloria Patris sui cum Angelis  
 suis, & reddat unicuique juxta operationem ejus in  
 æternum. Regnantem nunc in gloria veneramur,  
 nos cum omnibus fidelibus in Regno Gratia, expe-  
 ctantes gloriosum ipsius adventum, ut cum omnibus  
 electis, angelis & hominibus canamus ipsi cum  
 Patre & Spiritu Sancto æternas laudes in  
 secula non finienda,  
 Amen.



00 A 6359

ULB Halle  
002 916 746

3



VD 18

W 17

Retrow







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

N. D. N. I. C.

O THEOLOGICA

DE

ISTO,

EX

TH. XVI, 16.

Christus, des leben-  
Gottes Sohn.

QVAM

ÆSIDE

NO SCHMIDIO,

PROF. PVBL. AC ECCLESIASTE,

GENII VIRIBVS

DEFENDET

TVS FECHT,

ERGA-MARCHICVS,

MEMBR. AN. CHR. M DC LXIV.

IO TERTIA.

S 10. FRIDERICI RITTERI,

DCC XXIV.

22

